

I. N. J.

DISSERTATIO THEOLOGICA,
DE
Z E L O
P A S T O R I S
E V A N G E L I C I ,

QUAM

Consensu Max. Vener. Facult. Theol. in Reg. Acad. Aboënsi;

PRÆSIDE

VIRO MAXIME REVERENDO atque AMPLISSIMO

D. N. D. O C T. J A C O B O
G A D O L I N ,

*S. S. Th. DOCT. & PROF. Reg. Ord. Ecclesiae Fennicæ Aboëns.
PASTORE, nec non Reg. Acad. Scient. Svec. Membro.*

Publico Examini submittit

G U S T A V U S A V E L L A N ,
V. D. M.

Die XXI. Junii Anni MDCCCLXV.

L. H. A. M. C.

A B O Æ,

Impressit JOHANNES CHRISTOPH. FRENCKELL.

KANSALLIS-
KIRJASTO

AUGUSTINUS contra ADIMANTUM.

Nam ipse Christus loquitur etiam in veteri Testamento, cum dicit, Ego sum ignis edax: qui loquitur in Evangelio, quod ignem venerit in hunc mundum mittere: id est verbum DEI, quod est ipse. Nam veteres utique Scripturas exposuit post resurrectionem discipulis, incipiens a Moyse & prophetis omnibus, quando ipsi discipuli ignem se accepisse confessi sunt, dicentes: Nonne cor nostrum ardens erat in nobis in via, cum aperiret nobis Scripturas? Ipse est ignis edax: consumit enim veterem vitam divinus amor, & innovat hominem, ut ex eo quod DEUS ignis est edax, faciat ut eum nos amemus: ex eo autem quod DEUS zelans est, ipse nos amet.



§. I.

QUAMQUAM non defuerunt, qui adfectus humanos quosvis, tanquam morbos animi, non tam suppressi quam potius depelli atque extirpari debere pronuntiarunt: hi namque felicitatem veram non obtineri nisi in summa quiete mentis ab affectibus vacuae existimaverunt (*a*); attamen qui rem penitus considerarunt, affectus neque e natura humana stirpitus exigi posse, neque iis absentibus felicitatem promoveri recte omnino judicarunt. (*b*) Certe Scriptura Sacra hoc ipsum abunde comprobat. Et enim nisi mox ab initio, ad perficiendum statum hominis, divinitus concessa fuisset facultas affectuum; quomodo quæso protoplasti, in statu integritatis, spe & metu commoveri potuissent; aut quomodo comminatio divina de morte subeunda, vel allectatio serpentis de scientia adji-

A

scen-

scenda locum habuisset? Patet hoc quoque exinde, quod DEus, omnis motus & mutationis expers, ~~adfectus~~ sibi tribuat adfectus, atque hominibus talium affectuum sanctorum imitationem commendet. Adfectus itaque emendari & DEo sanctificari, non vero extirpari debent. Luculentissime autem, suo exemplo, hoc nos docuit, qui, excepto peccato, per omnia nobis similis fuit, Ebr. II: 17, IV: 15, Salvator in secula benedictus, dum in his terris agens ipsemet affectibus commovebatur. (c) Sic laetus est JESUS de revelatione mysteriorum Discipulis facta, Luc. X: 21. Vehementer idem contristatus est passionis instantis sensu, mortisque horrore. Matth. XXVI: 38. Iratus circumspexit Phariseos, qui insidiose observabant ipsum, num in Sabbato sanaret. Marc. III: 5. Reliqua exempla affectuum sanctorum, quibus commotum fuisse JESUM Sacra commemorat Historia, transimus, atque unum solummodo addimus, ob affinitatem materiae, quam breviter discutiendam suscipimus, Zelum scilicet heroicum illum, atque facinus audientissimum, quo unus JESUS, plebeius, obscurus, paucos vel nullos fautores habens, magnam turbam negotiatorum, populi impieati infervientium, & auctoritate sacerdotum fultorum, flagello ejicit e Templo DEI, quia sedem Sacro-

rum, rerum venalium forum impie fecerunt. Joh. II: 17. Itaque cum *εἰς ὑπίδημα* nobis proposita sit vita Christi, ut quemadmodum is fecit atque ambulavit absque ulla noxa aut labe, innocentiter ac Sancte, ita nos quoque per divinam gratiam Sanctitati vitæ studeamus; vel hinc rursus patet, adfectus quoque ad hocce studium accomodandos, neque proinde supprimendos, sed potius excitandos atque ad scopum sanctum elevandos esse. In numerum talium adfectuum piorum, referimus *Zelum Pastoris* animarum. Dum vero, primum specimen Academicum jam edituri, de hoc Zelo, pro modulo virium differimus, Tuam L. B. gratiam atque mitiorem censuram nobis pro certo pollicemur.

(a) Pervulgatum est, stoicos *αὐτιστας*, Epicuræos *ἰα-*
ποῦθεν, & Peripatericos, *μερισμάτευς* inculcasse. Quan-
tum a recta via in aliud atque aliud extrellum hi aberrave-
rint, non jam discutimus. Augustinus vero, *de civitate DEI*
Lib. IX. C. IV. & V. probat, Stoicos nihil fere aliud de
hac re sentire quam Peripateticos, quantum ad vim ver-
borum adtinet, non ad vocabulorum sonum. Quid au-
tem Augustinus ipsemet senlerit, id vel ex verbis ejus
sequentibus intelligetur: *in disciplina nostra Christiana,*
non tam queritur, utrum pius animus irascatur, sed qua-
re irascatur; neque utrum sit tristis, sed unde sit tristis;
nec utrum timet, sed quid timeat. Iraisci enim peccanti,
ut corrigatur: contristari pro afflictio, ut liberetur: timere

periclitanti, ne pereat; nescio utrum quisquam sana consideratione reprobet.

A Stoicorum doctrina de studio *ἀνάθειας* error propagatus est in hæresin Gnosticorum, qui, referente Epiphanio, *Hæres. XXVII*, posuerunt animam JESU contempsisse mores Judæorum, & propterea virtutes accepisse, per quas potuit exigere affectus, qui hominibus in supplicium adsunt; atque hinc concluserunt, per similem omnium rerum contemtum, suas quoque aliorumve hominum animas tantis virtutibus dignas fieri posse, ut affectus exuere valeant: immo si supra JESUM, contemnant, ipso excellentiores esse futuras.

Præterea manifestum, est vitæ eremiticæ atque monasticæ instituta, utpote vota cœlibatus, paupertatis & obedientiæ, itemque cruciatus corporis &c. studium *ἀνάθειας* præ se ferre, etiam si in plane contrarium quid haud raro desinant. Quis enim ignorat claustra monachorum haud raro esse domicilia avaritiae, libidinis, intemperantiae, seditionum, & nescio quorum non affectuum in apertas mali flamas erumpentium. Dum vero id agunt, ut affectata austeritate macerentur, hoc quidem eo fine faciunt, ut contemplationibus puris, lætis, atque jucundis tota eorum mens saturetur. Lubet hujuscemodi negotium illustrare exemplo, minime negligendo, quod refert L. Allatius L. 2: c. 17. n. 2. de Eccl. Occid. & Orient. consensione. Verba sunt cuiusdam Simeonis Xerocerci monasterii Abbatis, quibus docet Hesychastas suos, postea ἐνΦαλοφύχει dictos, modum, quo gratissimam placidissimamque quietem impetraturi essent: *Attende, ut facias quod tibi dico. Clavis foribus sedeas in uno aliquo angulo, seorsim, mentemque tuam abstrahas ab omni vanitate, re fragili & caduca. Deinde mentum tuum pectori innexum inhæreat, moveasque sensibilem oculum cum tota mente tua in medio ventris, in umbilicum scilicet: quin etiam*

etiam constringe adtractionem spiritus narium, ut non facile
ffires; & inquire intus in visceribus, ut reperias locum
cordis, ubi animi facultates morari solent. Et primum qui-
dem invenies tenebras, & crassitudinem minime cedentem:
ubi vero persisteris, ac dies noctesque in hoc opere consum-
pseris, o rem admirandam! percipies letitiam, quæ nullo
puncto temporis intermittit. Quam primum enim mens lo-
cum cordis reperiatur, statim adspicit, que nunquam sciebat &c.
Hæc jam adducuntur, ut patescat, quam illi in stulticias de-
labuntur, qui, confictis novis consiliis Evangelicis, cum
dispendio libertatis Christianæ nituntur, ut vires naturæ,
a Deo datas, expugnent.

Denique notandus heic in primis est ille Pseudo-My-
sticorum *Quietismus*, qui, seculo proxime præterlapso
ad exitum festinante, magnos* in ecclesia Romana motus
excitavit. Hunc namque studio *ātridias* esse conjun-
ctissimum haud obscure patet ex ipsissimis verbis Michaë-
lis Molinosi, Principis Quietistarum, quæ sic sonant in
der Geistl. Wegweiser B. 3. Cap. 19. Die Vernichtung/
wenn sie Vollkommen seyn soll/ muß sich erstrecken über
den Verstand, über den willen/ über die affecten und ge-
muths neigungen/ über die begierden und gedancken/ mitt
einem wort/ über daß ganze wesen der Seele = = = ja so/
daß sie gar zu keiner sache/ auch nicht einmal zu Ver-
nichtung selbst sich neige (b). Finge hominem *ātridias* vel-
le promovere felicitatem suam, atque adeo tentando ex-
periri quoddam medium, quod ad finem hunc accommo-
datum ipsi videbitur. Si jam succedit tentamen, non læ-
tatur homo *ātridias*, si non succedit, non contristatur.
Ergo erit similis rustico Æsopi, *ātridias* monstro, at-
que in eodem semper hærebit luto. Qui enim nullis con-
citatari potest stimulis, tardos aut potius nullos faciet pro-
gressus. Contra si affectibus sit locus, dum tentamina
felicitatis tuendæ augendæve fiunt; & successus & frustra-

tio cupiditatis, ad finem consequendum faciet. Sic enim ingenium acuetur ad propellendam ignorantiam, & vires animi intendentur ad superandas difficultates. (1) Sat antiquus est illorum error, qui IEsum, quoad animam & corpus, vi unionis personalis, immortalem & impatiabilem, atque adeo adfectuum naturalium incapacem statuerunt. Orta hinc est divisio in Phartolatras & Aphar-todocitas, seu corrupticolas & incorruptibilitatis adsertores, qui etiam Phantasiae dicti sunt. Ex horum haeretico-rum sententia Christus non vere est passus, esurivit, dormivit, reliquasque naturae humanae affectiones sensit; sed visus tantum fuit pati, dormire, esurire &c. Eo usque autem aliquando invaluit haec haeresis, narrante Evagrio, Hist. Eccles. L. IV. c. 38, ut Justinianus, edicto suo adsereret corpus Domini non esse obnoxium internecioni, neque particeps affectionum illarum, quae naturaliter insitae sunt, inque nullam incurunt reprehensionem, idemque nullam conversionem mutationemve, vel ex formatione qua in matrice facta est, vel ex voluntariis affectibus accepisse, immo ne post resurrectionem quidem. Hos autem errores nominasse, est eosdem refutasse. Vera enim & realis exinanitio Christi, quam in forma servi, nostrae salutis gratia, subiit, pia mente veneranda, non autem impia & frivola interpretatione nullificanda est.

§. II.

Ut major lux rei adfundatur propositae, ad originem vocis Zeli atque nativam ejus significationem adtendisse non poenitebit. Est vocabulum hoc origine Græcum, descendens a verbo *ζέω*, *ferreo*, *bullio*, *astuo*, *scato*; atque hinc per

per metaphoram, *Zelo* connotatur *fervor* & *vesementia aniini*. Itaque secundum Lexicographos, *Zelus* est immodicus amor, æmulatio, justa ira, felicitas, divitiae, ἐνδαιμονία, μακαρεστομία, admiratio, invidia, suspicio, studium, desiderium, affectatio, exemplum (d). Vocabulum Hebraicum זֶלֶת LXX. reddunt ζῆλος, estque illi, cum hoc, par potestas. In S. Scriptura non solum hominibus, sed etiam DEO tribuitur Zelus. Etenim benignissimum Numen, ut nostræ infirmitati consuleret, ad captum nostrum se adcommodavit, & more humano nobiscum agendo, adfectiones humanas in verbo suo adscribi sibi fecit. Sic Deus repræsentatur tanquam Zelo indulgens, ut majori cum emphasi exprimatur incomprehensibilis amor, quo hominum salutem promovet, Es. VI: 9. XXXVII: 32; itemque justitia inefabilis, qua contemptores bonitatis & longanimitatis divinæ ulciscitur, Ezech. V: 13, XXXVII, 5, 6. Hominibus vero cum adscribitur Zelus, vel in laude, vel in vitio hoc nomen est. Sic modo significat odium ac invidiam, Act. V. 17, XIII. 45, modo pravam æmulationem aut contentionem, Rom. XIII. 13, I. Cor. III. 3, II. Cor. XII: 20; modo studium sancti amoris plenum II. Cor. XI. 2, modo piam sollicitudinem de alterius salute Coloss. IV.

13, modo aliter. A vocabulo ἔλω, porro est
 ξηλώω, *imitor*, *invideo*, *affecto*, *magno studio sum
 addictus alicui*, *depereo*, *laude*, *beatum prædico ali-
 quem*. Qui autem Zelum fovent, vocantur πνευ-
 ματις Σερμε, Rom. XII. II. ξηλόι Apoc. III. 16.
 ξηλωτοί, & hi quidem vel cæco vel inordinato
 studio aguntur Auctor. XXII. 3; vel pio ordina-
 to ac sapienti Tit. II. 14, I. Cor. XIV. 12.

(a) Variæ Zeli significationes in Rob. Constantini The-
 sauro Græcæ Lingvæ sequentem in modum digeruntur:
 τέλος δὲ αὐτὸς εἶδη, οὐ μεν ἐπὶ μακαρισμῷ, οὐ δὲ ἐπὶ μιμησει, τρί-
 τος Φθονος σύναθ. De Zelo, qui in laude est, Svidas ad
 hanc vocem. αἰσθῆτος τὸν θεον ἐπιθυμία, Φθόνος τὸν θεον χάρεις ἴγγισο-
 μένη τὴν ψυχὴν Item Aristoteles Rhetic. C. L. c. XI. γῆ-
 λοῦ εἴσι λύτρα τοῖς ἐπὶ φαινουμένῃ παρατίτα αἰσθήσιν ἐντίμων καὶ ἐνδε-
 χομένων αὐτῷ λαβεῖν περὶ τῆς οὔμειας τὴν φύσει, σχ' ὅπις ἄλλω, αλλ'
 εἰς ἔχι καὶ αὐτῷ εἴσι διὸ καὶ ἐπεικής οὗτος ὁ ξηλός, καὶ ἐπεικῶς
 τὸ δὲ Φθονεῖν, φάντασιν, καὶ φαντάσιον.

§. III.

Quandoquidem Zelus est vocabulum medium,
 quod & in bonam, & in malam partem
 sumitur; non mirum est, videri eos in diver-
 sas sententias abiisse, qui de Zelo circa res sa-
 cras differuerunt. Verum quid nos morabitur
 dissensus Auctorum, qui meram logomachiam fa-
 pit? (a) Igitur missis ambagibus, explicabimus,
 qua-

qualem nos ponimus Zelum. Attamen in antecessum exemplo alieno rem illustrabimus. Tempore belli summus Imperator tradit arcem custodiendam Præfecto militum, qui perfideli in Imperatorem est animo. Præfectus iste habet firmum propositum omnibus viribus tuendi arcem ac repellendi hostes, si aggredi audeant. Dum vero longe absunt hostes, adquiescit Præfectus in hoc suo proposito, nec fere quidquam aliud agit, quam ut paratus sit, data occasione ad fidem suam manifestandam. At cum adventat jam hostis atque ditionem urget, non amplius quiescit in suo proposito Præfectus, sed evigilantibus quasi curis & cogitationibus, excitatur ad exsecutionem negotii sibi commissi. Effervescit & commovetur ipse animus, atque novas vires sibi sumit. Sic itaque confortatus Præfectus nihil intermittit, quod ad defensionem arcis pertineat, sed omnes ac singulas officii partes sic omnino exsequitur, quemadmodum exigit gloria Imperatoris, cui ex amore & reverentia singulari fidem suam & se totum devovit. Novos hos animi effervescentis motus dicimus esse Zelum Præfecti pro gloria Imperatoris. Par fere est ratio hominum, qui militiam spiritualem colunt. Sunt hi fide & amore DEO conjunctissimi. Constanter manent athletæ Christi in proposito cordis apud

DEum. Actor. XI. 23. Habent iidem quoque suum sabbathismum spiritualem in cessatione ab operibus carnis, in refocillatione animæ per soliloquium mentis cum DEO & alloquium DEI in verbo, meditatione beneficiorum divinorum perpetua & fiduciali, atque spe æterni Sabbathi. Matth. XI. 29. Hebr. IV. 11. Apoc. XIV. 13; verum enimvero multa ad hanc animæ quietem perturbandam tendunt. Talia sunt negotia & curæ hujus vitæ, fomes adhærentis peccati, suborientes & suggestæ pravæ cogitationes, langvor animi in statu tentationis, aliorum hominum infirmitas, vacillatio, lapsus, perversitas, immo furor adversus regnum Christi; & quis enumerabit omnes adversitates, quæ miseriam reddere videbuntur Christianorum in hac valle umbrositatis conditionem I. Cor. XV. 19. His autem, quantæcumque sint, vexationibus, tantum abest ut a pio proposito avertantur fide certatores, ut jam inflammentur amore in DEum, atque sic fortissime pugnant & cum exultatione victoriam reportent. Rom VIII. 35. I. Petr. I. 6-8. Jac. I. 2, 12. Igitur in genere *Zelus* circa res sacras nobis est intensior gradus amoris, quo ardet animus hominis Christiani, pro conditione ad seruendum DEO. Et *Zelus Pastoris* animarum est intensior gradus amoris, quo ardet Pastor

*stor, pro ratione officii, ad colligendam Christo ecclesiam
sanctam. (f)*

(e) In varias partes, divisus est orbis Christianus; neque ulla earum est, quæ non acriter urgeat, se solam pro veritate pugnare. In tanta opinionum diversitate id solum est omnibus commune, ut quælibet pars omnes reliquas partes contrarias pro hæreticis habendas esse censeat, atque hanc hæretificandi potentiam ac necessitatem religionis Zelo vindicet. Hinc factum est, ut Zelum illum in primis, qui in defendendis fidei dogmatibus occupatur, aut fastidiant multi, aut cavillentur illi, qui undecunque occasionem irridendi religionem captant. Notari heic merentur verba Petri Bayle in Diction. Hist. & Crit. Artic. Bezantes: *Le Zele des Controversistes est si peu propre à augmenter leur vertu, qu' il ne fait qu' étouffer toutes les lumières & tous les scrupules, qui, sur des sujets purement humains, les retiendroient dans le chemin de la probité.* Item Christ. Thomasii, in Ausübung der Sitten-Lehre. Hauptst. 12. §. 8. Die mischung des ehrgeitzigen hochmuths / und der geldgeitzigen aufzeblasenheit und schamrotheren wircket bey einem halb ehr und halb geldgeizigen / dasz er im glücke niemand groß achtet oder gute freundliche mine macht = = = = und dasz nennet man in der welt / seine reputation sehr wohl in Acht zu ne hinen oder sein amt nicht schimpfen zu lassen, oder für Gottes ehre zu eyffern wissen. Fatemur, immo dolemus dari Zelum perversum, atque horrenda virtus haud raro boni Zeli simulatione tegi; ast inde non sequitur, Zelum bonum, atque hujus studium commendari non debere. Hunc vero Zelum, qui in virtute est, Megalander noster Lutherus sic describit: *Eiffer ist eine zornige Liebe / oder freundlicher guter neht.* Als wenn ich

ich jemant lieb habe / und sche / daß er unrecht thut / ist mirst Von herzen leid / werde dar über unwilling und Zornig / und straffe ihn / nicht aus feindschafft / sondern aus liebe. Dass heist den eifer. Neque longe dissentit J. F. Baddeus, licet, diverti quid sonent ejus verba: *utcumque Zelum consideraveris, nihil aliud tandem erit, quam species iræ, quæ ex objecto peculiariter, peculiarem quoque accipit denominationem.* --- Nec obstat, quod ex amore oriri vulgo Zelus dicatur, & plerumque Zelo amor obtendatur. Ut enim posterius saepius per hypocrisin fit, ita, si prius coniungit, amor equidem Zelum acuit, et si proprie loquendo non sit Zelus. Theol. Mor. P. I. c. I. S. VI §. XXI. Etenim in sequentibus mentem suam hunc in modum explicat: *Zelus, qui laudabilis est, cum amore conjunctus est, unde defectus Zeli quandoque arguit defectum amoris.* --- *Attendendum est ad principium Zeli, quod est amor sincerus DEI, & hominum aliorum, quorum salus nos sollicitos tenet* ibid. P. III. c. II. §. XXXI, XXXII. Nobis vero arridet explicatio S. Ambrofii. Serm. XVIII. in Ps. CXVIII. *Est Zelus ad vitam: & est Zelus ad mortem. Ad vitam Zelus est divina precepta servare, & amore Domini ejus custodire mandata.*

(f) Differentia inter Zelum cuiuslibet hominis Christiani, & Pastoris animarum consideranda heic est. Amor erga DEum semper ultra tendit, neque alias admittit limites, quam ut ex toto corde, tota anima, totis viribus DEum amemus. Ex amore in DEum derivatur amor in proximum. Hujus amoris limites sunt, ut amemus proximum, sicut nos ipsos. Itaque cum hi limites æqualiter se habeant ad omnes in universum homines; etiam Zelus, qui eodem amore tovetur, omnibus idem esse debere videtur. Posito scilicet, totum Christianorum veritatum cœtum divitum esse in duos ordines, docentium atque audientium; queritur utrum docentium Zelus differt ab illo audientium? Omnes quidem pii gratia Spir-

tus Sancti sic fulciuntur, ut omnem impietatem detestentur, immo cum fervore animi, fortiter quasi in regnum cœlorum irruentes, Matth. XI. 12. sint ἡλαται καλῶν ἔργων Tit. II. 14. neque suum solummodo commodum privatum quilibet curent, sed, tanquam sacerdotes Spirituales, proximi quoque omniumque communem Salutem specent. Phil. II. 4. Hinc quemadmodum in naturalibus evenit, ut φλογισθεὶς ardens, dum admoveatur alii φλογισθεὶς, suo igne hoc ipsum inflammet, ita ignis Zeli, quo ardet quilibet anima fidelis, tendit ad generandum augendumque in proximo amorem erga DEum. Dum enim homines pii exemplo, doctrina, precibus, hymnis, consolatione, benedictione, admonitione atque correptione fraterna vim atque usum Christianismi demonstrant; non posunt non aliorum animi, quando hæc vident & audiunt, eodem auræ divinæ flatu tangi, stimulari aut valide ferri, & ad pietatem æstimandam atque desiderandam concitari. Ab hoc tamen felici impetu, quo sic feruntur omnes pii ad serviendum DEO, eminentiori quadam ratione, differt Zelus Pastorum, prout ex conditione & natura munieris pastoralis haud difficulter intelligitur. Sic enim ordinata est ecclesia, ut ex universo cœtu elegantur verbi divini ministri, quibus specialis cura ecclesiæ concreditur & demandatur. Hæc vero specialis cura simul detrahitur singulis membris cœtus audientium; neque enim specialis esse potest cura illa, cuius omnes æqualiter sunt socii & participes. Dantur itaque functiones ministeriales Pastoribus propriæ, quæ sine virtute ἀλλογενομονομίᾳ a quocunque audientium tractari nequeunt. Quid in casu necessitatis liceat, non est ut hoc loco definiamus. Ergo in iisdem hisce singulis functionibus, quatenus solus Pastor sive præviæ animi deliberatione, sive subsequenti executione occupatur, eatenus quidem nullus est Zelus specificus in quolibet audientium,

quia non entis nullæ sunt adfectiones; e contrario Pastorum est, has munera sui parres non frigide, nec tepide, sed fervide administrare. Hinc igitur manifestum est, dari differentiam illam, de qua quærebatur.

Jure autem id postulatur, ut ordo *docentium* Zelo antecellat ordinem *audientium*. Ne quid jam dicam de vocatione ad ministerium interna & externa, atque independente obligatione, etiam ideo justum hoc est, quia hujus liberalitate ille alitur I. Cor. IX. 7, II, 13, ut liber laborum secularium omnes vires suas ministerio verbi consecret; non ut se pascat, sed ut discat docere, atque gregi Christi pascendo advigilare. Et. LVI. II.

Vires ad Zelandum ministris fidelibus largitur Spiritus Sanctus. Licet enim dona miraculosa per impositionem manuum in ecclesia primitiva olim collata cessaverint; non tamen deseruit Deus ministerium suum, quod conservaturus est, donec sit ecclesia. Dum namque, more Apostolico, impositione manuum etiam ordinantur, qui ad ministerium sacrum vocati sunt, peragitur haec cæremonia conjunctis & ordinantium & ordinandorum, & praesentis ecclesiæ precibus, quibus ordinando approcamur divinitus virtutem rite & cum successu sacrum administrandi munus. Quis autem dubitabit, quin Deus benigne exaudiat preces fidelium in nomine Christi fusas, atque speciali gratia auctoritate & confortet illos, quos ecclesia, ex divina voluntate, cooperarios DEI constituit, & qui vocationi divinæ obediunt, atque se totos muneri sacro specialiter dicatos volunt. Certe per hanc gratiam divinam confidimus fore, ut quemadmodum Diaconi bene ministrantes θαθοὶ καλὸι καὶ πολλὴν περποίαν sibi adquirunt, I. Tim. III. 13, sic quoque Pastores tenaces ejus, qui est secundum doctrinam, fidelis sermonis, fiant duces ad hortandum in doctrina sana, & ad arguendum contradicentes, Tit. I. 9.

§. IV.

Propensionum & affectuum natura ex suis caussis atque effectibus melius intelligitur, quam ex descriptione constitutionis internæ. Cum itaque Zelus nobis sit fervor amoris in DEum; considerandum jam est, quomodo hic amor exoriatur & quid operetur. In proposito autem est, non cœcum, aut ratione destitutum, sed oculatum & rationalem amorem decepare illos, qui induunt novum hominem renovandum in cognitionem secundum imaginem DEI, Coloss. III. 10, ut in verbi divini opulentia, in omni sapientia, quodcunque fecerint, ex anima operentur Domino, ibid. v. 16, 23. Provocant vero hunc amorem beneficia divina largissime nobis exhibita. Etenim qui modo cogitat, DEum nobis dedisse vitam & quidquid sumus, atque porro toti huic universo & singularis rebus creatis, in primis autem homini, impressisse imaginem divinarum perfectionum suarum, adeo ut in iisdem, tanquam in speculo quodam, gloriam Domini scrutari nobis licet; haec, inquam, qui cogitat, necesse est profundam tanto Gubernatori reverentiam deberi agnoscat. Præterea qui animo haud iniquo perpendit, quomodo in doctrina Evangelica Deus nobis repræsentatur tanquam Fater sum-

me bonus & misericors, qui ex incomprehensibili sapientia negotium salutis humanæ molitur, liberando homines a servitute peccati, horrore mortis atque anxia cogitatione futuri post hanc vitam status ignoti, horumque malorum loco beatitudinem in æternum duraturam fidis cultoribus suis largitus est; is quidem non potest non devotissimo cultu dignum prædicare auctorem tantorum beneficiorum. Qui autem veritatem hujus Evangelii usque adeo percipit, ut eidem adquiescat ejusque certitudine delectetur, ac proinde prægustum sentiat felicitatis illius, cuius plenam in altera vita fruitionem spe infallibili comprehendit; is demum solidum ac sincerum amorem erga DEum concipit. I. Joh. IV. 19. Hic idem porro quo plus scrutatur perfectiones, consilia & opera divina, sive resipiant totum genus hominum, sive ecclesiam DEi, sive in speie se ipsum, quatenus in via salutis constitutus habet in anima sua experientiam manudictionis divinæ, eo fortius concitatur ad exclamandum illud: *ε οδος της ιησους* &c. Rom. XI. 33, eo magis purificatur ejus amor ab omni metu I. Joh. IV. 18, ut lætetur de unione cum DEO vivo, Ps. V. 12, LXXXIV. 3, nullisque afflictionibus a dilectione DEI divelli queat, Rom. VIII. 39; eò quoque alacrior is

is redditur ad servanda cuncta mandata divina I. Joh. V. 3, atque ad alios etiam homines DEI caussa diligendos I. Joh. IV. 21. Ex hoc autem amoris in DEum ortu atque effectu non solum patet, quid sit *DEum amare* (g); verum etiam liquet, non immediate infundi, sed per *inveni* generari, neque in unico momento, sed continuo studio, divinam hanc artem amandi perfici, ejusdemque assiduo usu laudatam *inveni* augeri & ampliorem reddi. Itaque cum hoc amore nititur Zelus noster, qui in exercitio Christianismi sese exserit (§. III.); sequitur hinc, Zelum non esse coecum impetum, vel ratione destitutum raptum animi, sed per divinam sapientiam & nasci & dirigi atque ad ubiorem scientiam vitæque spiritualis incrementa tendere (h). In primis vero cum Ministrorum verbi est ducere Auditores; per se patet, eos omnium minime cœco Zelo debere moveri. Luc. VI. 39. Et id quoque hinc manifestum est, fervorem, qui ex caussa quapiam carnali exsurgit, & qui ex constitutione sanguinis ac temperamenti in nonnullis frequens esse solet, pro Zelo spirituali non esse habendum.

(g) Si ipsa natura hujus amoris verbis describenda foret, diceremus esse habitualem propensionem animi, cum quodam quasi pondere voluntatis, in DEum tan-

quam summum Bonum. Habitualē dicimus; quia principium amoris, viva scilicet cognitio, quod DEUS sit summum hominis Bonum, est habitualis in mente hominis pii; itemque quia effectus amoris, nimirum nova obedientia, itidem est habitualis. Veterum Mysticorum nonnulli, describentes modum pervenienti ad unionem cum DEO, est, inquit, *consurrectio per unitivi amoris affectiones flamigerans, supra omne officium intellectus, in supremo opice Affectione constituta &c.* Dixerunt quoque esse *Consurrectionem per ignorantiam, experimentalem, item sapientem, non a scientia, sed a sapore.* Removerunt vero hinc officium intellectus, quia objectum amoris DEUS omnem intellectum nostrum transcendir, & quia ejusdem fruitio, non item cognitio usui esset, proti eorum thema narrat atque explicat Christ. Hoburgen in Theologiae Mysticæ der Alten/ dritten theil p. m. 79. Ach dis erfahren / solte 1000000. ja unendlich mahl besser seyn / als davon viel wissen / ja so viel das wesen und dass geniesen eines trefflichen herrlichen schahes besser ist / als dass wissen davon. Verum manifestius est, quam ut demonstratione indigeat, neque timeri neque amari posse nisi cognita. Si ergo timebitur amabiturve DEUS, necessaria utique est cognitio, quæ ad hunc timorem amoremue ducat, seu quæ ostendo præmio impellat ad virtutem, atque proposita ante oculos poena, a scelere absterreat. Est autem timor DEI prior amore, atque huic locum præparat, cum vero amor cœperit habitare, pellitur timor, qui ei præparavit locum, prouti monet Augustinus Tract. IX. in Epist I. Joh. Et quemadmodum recte docetur, cognitionem esse necessariam in primo initio amoris, ita idem pariter valet de ejus incrementis, quæ sunt initia amoris novi accendentis; nec non de Zelo bono, seu fervore animæ amantis, qui efficit applicationem amoris ad praxin; in occasione singulari.

(b) S. Am-

(h) S. Ambrosius loc. cit. vides quia Zelus DEI gratia est: qui super venit: qui se justi infundit pectori: Zelus DEI vita est.

§. V.

Ut amor utramque decalogi tabulam completitur, Matth. XXII. 40, adeoque latissime patet; sic quoque fervor amoris, seu Zelus. Praecepta negativa haud minus ac affirmativa Zelum postulant. Hinc sit, ut ex objectorum atque circumstantiarum varietate varia appareat Zeli forma; quod tamen non impedit, quo minus Zelus sit unius ejusdemque divinitus excitati amoris fervor. Sic Zelus est studium, seu vehemens applicatio animi cum magna voluptate ad agendum bona opera; cum quis ex consideratione amarissimae passionis Christi sic abhorret a peccato, ut amore DEI, atque cupiditate placendi DEO, accensus, delectetur puritate vitae, cuius potentiam in Christo consecutus est, Tit. II. 14, Act. XVIII. 25, Est quoque Zelus æmulatio; Cum quis amore sui ipsius accenditur ad imitandas virtutes alienas, I. Cor. XII. 31, II. Cor. IX. 2. Est Zelus amor metuens; cum quis amore divinitus affuso accenditur ad præcavendum malum, quod vel sibi, vel aliis imminentem potest. Sic Paulus, tanquam paronymphus, ampliori prædicatione Ev-

vangelii, voluit purificare ecclesiam Corinthiam, atque adversus Pseudoapostolorum corruptelas tueri, ut eam sponso Christo sisteret, tanquam virginem puram II. Cor, XI. 2, 3, Sic quoque in laude est Zelus, quo conjux diligit, castitatem conjugis, neque æquo animo fert impudicitiam ejus, & quidem propter fidem Christo datam, nec non propter animam conjugis. Valet enim heic priscum proverbium: *qui non Zelat, non amat.* (i) Zelus est amor irascens vel vindicans; cum quis avertit vel avertere studet ea, quæ indigne jam fiunt adversus id, quod amat. Talis erat Zelus domus DEI, quo ferebat Salvator, Joh. II. 17; item Zelus Pinchasi, quo salutem ex gratia divina populo suo meruit, Num. XXV. 12; (k) atqne sic in cæteris.

(i) Sobria sunt, quæ hac de re docet divus Hippomensium Præful Homil. XLIX. *Commendo vos custodiendos etiam uxoribus vestris. Filiæ meæ sunt; sicut & vos filii mei estis. Audiant me. Zelentur viros suos, non sibi servent vanam gloriam, quia solent a maritis impudicis matronæ laudari, quia impudicitiam virorum suorum æquo animo ferunt. Non tales patientiam habeant Christianæ mulieres, prorsus Zelent viros suos: non propter carnem suam, sed propter animas illorum.* ---- *Non dico viris, ut in hac causa Zelent uxores suas. Scio, quia faciunt. Novi. Quis ferat uxorem adulteram, & imperatur feminæ ut ferat adulterum virum? O justitia! Contra displicet nobis positio Christi, Thomati, Aliusub. der Citten Lihre*

Ichre c. 5. §. 2. 3. Enfersucht ist ein haß der person / die wir lieben / wenn sie Ven andern geliebet wird / oder sich lieben läßt. So wiedermärtig nun diese gemüths-Neigung ist / so unvernünftig ist sie auch / und entspringet nothwendig aus unvernünftiger liebe.

(k) Hujus Zeli historiam ita habes. Midianitæ horrendam excogitarunt fraudem, qua, absque aincipiti belli periculo, vim populi Israëlitici frangerent. Scilicet animadverterunt Israëlitas esse ad libidinem pronos; ideoque constituerunt adornare fornicatrices, quæ Israëlitas, meretricio amore captos, ad idolatriam pellicerent. Sic enim callide intelligebant, Israëlitas fore amissuros magnum illud præsidium, quod in DEO suo habebant. Succedit astus. Magna pars populi cultum veri DEI cum idolatria commutat; & Deus ad iram concitatus populum plagis consumit. Pereunt jam XXIV. millia hominum. Ast Israëlitæ, ad ostium tabernaculi confluentes fletu scelera deprecantur. Tum vero adeat quidam Israëlite, qui, posthabito timore DEI atque amore populi omni, in conspectu Mosis & omnium praesentium, fœminam principem Midianitudem, haud tacito cognoscendam furto, adducit in tentorium. Tantam hanc impudentiam Pinchasus æquo animo jam ferre non potest. Neque enim alia re aut protervius propalari contemtum Numinis, aut magis accelerari exitium gentis videbat. Hic itaque amore DEI atque popularium percitus, capit in arena consilium. Lupanar e vestigio intrat, & lupantes tyromaste trucidat. Heroicum facinus DEO probatur, cessataque plaga a filiis Israël.

§. VI.

 t ita quidem cum se habeat Zelus, haud difficulter jam intelligitur, quam sit Pastori necessarius. Patet itaque Zeli Pastoratis necessitas primo ex conditione ipsius mune-

ris, quemadmodum supra notatum est. Etenim sicut universa ecclesia sancta, si conferatur cum toto genere humano, est sal terræ; sic quoque doctores ecclesiæ, exemplis præludentibus atque potentia verbi, animas suæ fidei concreditas a marcore ac corruptione, quoad fidem & mores Christianos, conservare debent. Matth. V. 13, I. Tim. IV. 12, Tit. II. 7, 8, I. Petr. V. 3. Idem hoc explicatius demonstrant mandata divina, quæ expresse injungunt doctoribus necessitatem Zeli illius, qui pro fundamento atque exemplo habet amorem DEI, & excitatur atque effervescit ex dato divinitus dono virtutis ac charitatis Apoc. III. 19, II. Tim. I. 6. Tum quoque necessitas Zeli Pastoralis probari potest Prophetatarum & Apostolorum aliorumque piorum doctorum exemplis; hæc autem sigillatim enumerare supervacaneum est. Addendum heic potius est testimonium Pauli, qui perhibet pastores, excubantes pro animabus auditorum suorum, aut cum gudio aut cum gemitibus hoc facere. Innuit Apostolus tantum esse fidelium Pastorum Zelum, ut piaculum sit sollicitudinem eorum diurnam nocturnamque promtis obsequiis non allevari Hebr. XIII. 17. Hanc porro Zeli Pastoralis necessitatem, instituta comparatione cum adfectibus vitiis contrariis, fortiter inculcat, qui pro recuperanda humani generis salute incaluit atque iræ divinæ ignem dirissimum sustinuit, testis fidelis & verus, dum pastori ecclesiæ Laodicensium hæc annunciarí jubet verba: Apoc. III. 16, 19. *Quia tepidus es, & neque frigidus, neque fervidus, exsputurus sum te ex ore meo. Quare Zelum exerce, & age penitentiam.* Frigidi præfules sunt, qui existimant negotiationem esse pietatem, I. Tim. VI. 5. Qui dum officium ecclesiasticum actu externo administrant, ore, confitentur se nosse DEum, opere autem, profanis scilicet per totam reliquam vitam sermonibus, atque sceleris facinoribus, abnegant, ut sint abominabiles & infideles,

& ad omne opus bonum reprobi, Tit. I. 16. Hi sunt stigmae notables, quia impietas illorum sponte quasi incerrit in oculos omnium, qui sanctitati student. Tepidi vero sunt, qui totis viribus neque DEO, neque peccato serviunt; sed similes Samaritanis, qui cultum veri DEI confundunt cum cultu idolorum, unam cordis partem DEO, alteram rebus DEO inimicis consecrant. Artificiofa est horum pietas & ingeniosa malitia. Vellent hi totas vires suas DEO dicare, nisi mundi illecebrae partem sibi vindicarent; vellent totis viribus pravas voluptates curare, nisi secururam futuro seculo summam miseriariam pertimescerent. Sic igitur dubitanter & oscitanter res DEI tractant, atque inter duo principia contraria timide incedunt, tanquam qui neutrum offendere audent. Servos DEI simulque Diaboli illos praedicares, nisi medios & neutrius partis ministros abominari atque ex ore suo exspere Dominum cœli terræque sanctissimum constaret. Itaque vel hinc clarissime eluescit, Zelum Pastoris boni abhorrere a frigore illo manifeste impio, itemque esse alienissimum a tepore istorum, qui in utramque partem claudicant. Denique ex magna vi & perversa diligentia hostium religionis concludimus, Zelum pastori fidei esse adprime necessarium. Habet ecclesia hostem Diabolum, qui dicitur serpens atque draco, ob calliditatem & insidias, quas hominibus struit; est enim acutus & astutus atque omnibus intentus occasionibus, quibus facilime & maxime nocere queat. Idem dicitur rufus, ob sanguinolentum ingeniun, quia sanguinem sanctorum perpetuo sinit. Assimilatur leoni rugienti, quia, instar regis bestiarum, labore, animositate & rapacitate insignis est. Alter hostis venit nomine *mundi*, quo homines pravi & variæ, quæ nos in hoc seculo circumstant, illecebrae peccandi intelliguntur. Mundi pars quædam ad serpentis antiquicandam referenda est; puta hujus pedissequos, perversos docto-

doctores ac hominum seductores, qui ipsi quoque serpentes ac progenies viperarum nominantur. Hi quidem perverso, sed magno tamen Zelo ecclesiam sanctam impugnant; estque horum κακογναῖα tanto impetuōsior, quanto magis attemperatam ad pravas cupidines fovent doctrinam. Corruptum hominis cor tertium continet pietatis hostem, eo diligentius observandum, quo occultius latet. Connata concupiscentia prava nititur, ut parturiat atque progignat peccatum; hoc autem, ut vires sibi usu colligat, arque dominationem adipiscatur, donec infandus & lethifer fiat homini tyrannus. An igitur æquum est, ministros verbi divini solos, tanta hostium fævientium turba circumdatos socordia torpescere?

§. VII.

Multa de Zeli subiecto, objecto, characteribus atque variis affectionibus dici, atque ex positis hisce principiis explicari possent; verum quia propter rationem brevitatis hæc prætermittenda sunt, restat ut consideremus, quemadmodum faciendus sit usus Zeli, atque vitandus abusus. Circa hanc rem id quidem primo loco tenendum est, ut habeatur *intyssus*, seu accurata cognitio doctrinæ salvificæ. Disquirit enim Pastor Evangelicus, utrum rite se habeat atque verbo DEI conformis sit illa institutio, quam cum Zelo inculcare aggreditur. Deinde in casu quovis speciali considerat, utrum Zelus, qui in ipso accenditur, sit radius ex Patre luminis emanans, an vero ex igne fatuo, qui vento agitatus viatores a recta via in fœda loca paludosa dicit. Perpendit etiam quousque valeat ejus Zelus ad obtainendum id, quod ad salutem auditorum e re esse judicat. Denique dispicit inedia, quæ ad finem conducere atque impedimentis nemovendis apta esse postulat. Verbo: prudentiam in Zelando sectatur. Quibus enim initium esse solet absque prudentia, illis finis esse solet cum pœnitentia. Et Zelus sine prudentia est rabies, vel hypo-

hypochondria; prudentia autem sine Zelo est hypocrisis. Zelus itaque quoad exercitium externum magnam habet difficultatem. Certe circa quamvis munera pastoralis partem numerus casuum variantium in infinitum excrescit tam quoad doctorem ipsummet quam quoad diversos auditores horumque conditiones externas, adeo ut difficile sit tot prudentiae regulas excogitare atque tradere, quæ omnibus iis casibus semper & ubique sufficient. Ea vero est DEI benignissimi gratia, ut non sinat legatos suos laqueis irretiri; sed qui dat bonam voluntatem atque Zelum in corde accedit, is quoque intellectum illuminat & caliginis nebulas dissipat, ut in luce ambulantes non vacillent sed certis passibus gradiantur ministri fideles. Qui enim facit vivere Spiritu, is quoque facit spiritu incedere. Zelus non est virtus solitaria; coniunctus & sociatus cum aliis virtutibus spiritualibus pervenit ad ea, quæ summa sunt. *Fruſtus ſpiritus ſunt charitas, gaudium, pax, iræ cohibitio, benignitas, bonitas, fides, mansuetudo, continentia.* Gal. V. 22, 25. *Servus Domini non eſt pugnax, ſed mansuetus erga omnes, didacticus & tolerans malos.* II. Tim. II, 24. Igitur moderamen & exercitium Zeli, quod hominibus asperum videtur, piorum affectuum temperamento lenitur, oleum charitatis affundente Spiritu Sancto. Quod itaque attinet ad uſum Zeli, paucis foliummodo exemplis eum breviter illustrabimus.

§. VIII.

An verus Zelus Pastorialis postulat imitationem Pinclafis, qui occidit deprehensorum in ipso scelere fornicationis, vel Petri, qui morte mulcavit illos, qui mentiebantur Spiritui Sancto Act. V. 9? Rationes pro sententia affirmativa 1:o Exempla virorum sanctorum nobis ad informationem sunt memoriarum mandata. 2:o Quandoquidem heic, queritur de solis peccatoribus ἐπαυλέψει deprehensio; patet omnino abesse omne periculum injuria. Quia namque certum

est illos peccasse, certum quoque est, illos obligari ad subeundam pœnam. Sed prævaler sententia negativa. 1:o Quædam exempla ad admirationem non vero ad imitationem in Scriptura Sacra proponuntur; illa præsertim, quorum imitatio non est præcepta. Exemplum Petri non potest quisquam imitari, nisi fiat miraculum, neque proinde est communis imitationis. Sic quoque occasio Zeli Pinchasi est quasi quoddam sui generis unicum, unde ejus facinus heroicum sit inimitabile. 2:o Concedimus id exigere Zelum Spiritualem, ut violatores legis plectantur juxta legem, verum hoc tamen non pertinet ad Zelum pastoralem. Pastorum est vi verbi divini colligere oves errantes, atque in ovile Christi inducere. Fit hoc demonstrando iustitiam divinam ut tremulant flagitosi Act. XXIV. 25, & annunciendo gratiam, ut compuncti corde resonent: *quid faciemus viri fratres.* Act. II. 37. Si vero prima vice nihil efficiat Pastor, non ideo mox deferset peccatorem, sed cogitabit DEum totam diem extender manum suam ad populum inobedientem, se vero esse legatum divinum, per quem jam efficienda est vocatio divina cum longanimitate; ideoque infidelem Domino esse ministrum illum, qui cum patientia non exsequitur, quod cum patientia effici vult Dominus. 3:o Manus violentas inferre peccatori in flagitio constituto, id vero esset, non tyrannici sed diabolici plane carnificis opus, atque a charitate Christiana boni Zeli fonte, alienissimum. Si talis permisla esset graffatio, periculum est, ne sub prætextu Zeli divini etiam innocentes adgrediantur ministri impii. Hinc Salvator dissipavit eradicationem Zizaniorum, ne simul eradicaretur triticum.

§. IX.

Cum sit illicitum Pastori morte plectere ~~irruendos~~ peccantes; annon tamen, urgente Zelo, licet violenter impedire consummationem flagitiæ, secundum exemplum Christi,

sti, qui eversis numulariorum mensis &c. purgavit templum Domini; item Danielis, de quo refertur in historia Apo- chrypha, quod destruxerit idolum draconem?

Non quæritur de impediendo flagitio quod lex civili prohibet; nullum enim est dubium, quin omnes in universum cives tale quid impedire debeant. Sed quæratur de actione manifesto impia, quæ auctoritate publica jubetur, saltem permittitur. Christi exemplum non quadrat in ministros verbi ordinaria vocatione constitutos, neque enim tum agebatur Christus Zelo propheticō simplici, sed Zelo Filii DEI eminenti, uti patet ex ipsis ejus verbis: *ne facite domum Patris mei domum mercatus.* Joh. II. 16. Exemplum Danielis facit pro parte negativa quia regis permisso draconem interfecit. Attendum heic est ad exemplum Pauli & Barnabæ, qui Ido lolatris vim non opponebant, sed, scissis vestimentis, sancti Zeli signa dabant, atque sic attentionem idololatrærum prædicationi insequenti suæ conciliabant, Act. XIV. 14. Ad eundem ergo modum Pastor Evangelicus quocunque modo decenti contestatur atque demonstrat ingenitem dolorem suum ob peccata publice grassantia, oves Christi perditas non violenter tractat, ut domari solent feræ bestiæ, sed convenienter naturæ rationali erudit & informat: *viri, quid facitis? Annunciamus vobis, ut ab istis vanis rebus convertamini ad Deum viventem.* Quanquam vero hæc ita sint, non tamen sine omni plane exceptione universaliter neganda est quæstio hæc. Certe M. Lutherus adhuc dum constitutus intra sphæram publica auctoritate valentis hierarchiæ papalis, publice exus sit libros Pontificis Romani. Notificavit simul in universum omnibus, sua voluntate, consilio & opera, nec non instinctu ut sperabat, Spiritus, id factum fuisse, i:o quia antiqui moris erat improbos codices publice comburere, Act XIX, 19. 2:o quia ipsi, ut Christiano & Doctori ac

Concionatori conveniebat falsas, seductorias & impias do-
 & rinas abolere, vel saltem impedire, non autem humana for-
 midine & metu ab hac officii parte prestanta cohiberi. 3:0 non
 tamen hoc operis conatum fuisse Lutherum, nisi expertus di-
 dicisset Papam, neglegens multis instructionibus a se frustra fa-
 ctis, matere induratum, immo doctrinam Evangelicam con-
 demnare & exorere, ad antichristianas abominationes confir-
 mandas. 4:0 Postquam ergo, a parte Papae facta combustione
 librorum Lutheri, veritati magna imminet jactura, & apud
 imperitam plebem suspicio ad multarum animarum perniciem
 nasceretur, Lutherus vicissim ad veritatis Christianae at-
 que vulgi conservationem libros adversariorum combuslit.
 Similiter fere, teste Eusebio in Hist. Eccl. LVIII. c. 5,
 vir quidam nobilis, Zelo DEI motus ac ferventi fide im-
 pulsus, Nicodemus, impium Cæsaris contra Christianos
 edictum, in manifesto & publico positum, multis spectan-
 tantibus, sustulit & disceplicit. Præterea quid Icomachi,
 quidue fanatico cœstro perciti hæretici alii atque alii, contra
 Magistratus suos ausi sint; non est ut hoc loco narretur.
 Non vacat nobis hanc quæstionem subtiliter secare; suf-
 ficiat monuisse, Pastorem Evangelicum, secundum doctri-
 nam Christi dare Cæsari, quæ Cæsaris sunt, & DEO,
 quæ DEI sunt, magis timere DEum qui potest & corpus
 & animam perdere, quam homines, qui solum corpus
 vexare valent, atque assiduo usu instrumentorum gratiæ,
 quæ Deus ei concredidit, pugnare adversus lupos rapa-
 ces gregi non parcituros; atque ut hæc rite agat, non
 consulere illum humani cerebri abortum, carnis pruden-
 tiam a luce & virtute divina separatam, sed, corde ad
 DEum elevato, sequi sapientiam superne delcedentem,
 quæ est plena pacis & mansuetæ, & obtemperans, abs-
 que disceptatione, vultum non accipiens neque justitiam
 simulans, Jac. III. 17. Addimus insuper, nostrum non
 esse definire modum aut gradum Zeli, quem Spiritus
 Sanctus

Sanctus pro arbitrio suo in qualibet anima fidelis excitat: Neque dubitandum existimamus, quin Deus, si periclitatur salus ecclesiae, abundantiori lucis charitatis & Zeli divini mensura firmet atque ad res magnas agendas audiendasque excitet illos, quos elegit, ut essent instrumenta ecclesiae conservandae. Quod si vero quis carnali affectu agitatus praetexat Zelum divinum, videat is, ne ipsi accidat quemadmodum circulatoribus exorcistis. Act. XIX. 16.

§. X.

An ergo Pastor, Zelo satisfacturus, omni tempore & omni loco debet observare peccata, quæ lauctoritate publica prohibentur, horum executionem impedire, atque peccantes judici tradere, ut pæne legibus constitutæ dolorem subeant atque resipiscant? Multis ad hanc quæstionem responderi posset; sed fontes solutionum præcipios breviter aperiemus. 1:o Non queritur de affectu animi immanente, sed de actu ad extra transeunte. Animis boni Pastoris quavis data occasione scatet Zelo; queritur itaque an similiter externum Zeli exercitium semper & ubique locum obtinet. 2:o Paulinum monitum: *insta tempestate & intempestive* II. Tim. IV. 2, non crude intelligendum esse; prudentiam enim Christianam heic non excludi non solum ex analogia vitutum patet, verum etiam evidentibus Scripturæ sacræ locis comprobatur. Eccles. III. 7. *Tempus est silendi, & tempus loquendi.* Prov. XVII. 12. *Præstat occurrere virum ursæ orbæ catulis,* quam stulto in stultitia sua. Itaque cum bestia crudelissima humano ingenio superari vel caveri queat, homo autem pravus in *ἀκρινη* nequitias sibi confidens nulla arte dormietur, sed quemvis potius recte consilientem adoriantur, ut phreneticus medicum; aliud exspectandum est tempus, dum transierit æstus stultitiae. Etiam tempus somni & refectionis intermittendum est. Semper opportune fit, quod sit utiliter ad salutem; ast secundum carnis prudenteriam

dentiam idem potest censeri *intempestive* factum. 3:0 Hinc elucescit, utrum Pastor ad gladiatores descendere atque mutuam inter illos dimicationem sedare obligatur; item utrum crapulæ plenos alloqui & corrigere debeat. Digna est, quæ hoc loco commemoretur historia de Johanne Evangelista & Apostolo, quam memoria commendat Eusebius Hist. Eccl. Lib. III. c. 20. Habet se illa, in compendium missa; ad hunc modum. Johannes senex Ephesi degens cum more Apostolico ecclesias vicinas visitavit, in quadam civitate forte conspicatus adolescentem corpore valido, & facie eleganti, animoque ferventi. Hunc summo studio Episcopo loci commendavit. Episcopus vero, diligentiam pollicitus, sibi traditum adolescentem domi educavit, continuit ac fovit, tandem etiam baptizavit, atque, postquam ad eximiam, diligentiam & observantiam pervenisset, ob-signationem Domini addidit. Ast adolescens, deinceps remissior factus, coëvis dissolutis se jungit atque primo ad sumtuosa convivia, deinde noctu ad furandum & suppilandum dicitur. Tandem, salute quæ a DEO est desperata, pro magnitudine ingenni, arreptis sociis collectaque latronum colluvie, factus est latronum dux violentissimus homicidio addic-tissimus & sævissimus. Post aliquod tempus, cum Johannes, in eadem illa civitate iterum præsens, haud absque magno planctu comperiit, quid factum esset: assumto viæ duce properavit mox ad montem, quem adolescens latro cum suo exercitu occuparat. Itaque perveniens ad locum definatum, ab excubitoribus latronum capitur, duciturque ad principem qui interea, ut armatus erat, exspectabat. Hic, ubi accedentem Johannem agnovit, pudefactus infugam vertitur. Senex vero fugientem pro viribus insequitur, ætatis suæ oblitus, clamans: Quid me fili, patrem tuum, fugis, nudum ac senem? Miserere mei, fili, ne timeas, habeas adhuc salutis spem, ego Christo rationem pro

pro te reddam. Crede mihi, Christus me misit. Ille vero, cum ista audisset, primum constitit, deinde & arma projecit, mox intremuit etiam & acerbe flevit. Apostolus autem eum, lacrymis denuo baptizatum ad ecclesiam redixit, neque prius ex civitate recessit, quam eum ecclesia restituisset. O felicem ecclesiam, cuius ministri innocentia vitae, pietate ac Zelo etiam ex animis scelerorum sui reverentiam extorquent! 4:0 Habet magistratus suos ministros atque officiales, quorum est accusare illos, qui leges imperii violant. Horum interveniente opera dum puniuntur scelerati, fieri per DEI gratiam potest, ut vexatio illis det intellectum, & calamitas aperiat aures ad audiendum. Has vero ut & alias ex quacunque demum causa obtingentes benigniores temporis vices observat Pastor sedulus, juxta illud: *ferrum dum candet, crudere quemque decet.* Si autem Pastor se immiscuit muneri officialium, aut accusatorem comparavit; habebitur pro causa doloris, & non recipietur ab eo medicina.

§. XI.

An necesse est, ut Pastor pro concione nominatim perstringat illos, qui perverse & impie vivunt, aut ita depingat, ut quilibet eos notare possit; an vero vitia in genere tantummodo sunt castiganda? 1:0 Non queritur de inquisitione, quæ fit in confessu ecclesiastico ministerii & seniorum, ubi membrum ecclesiae quoddam, cuius vita & mores suspicio- ni locum dederunt, informatur ad Christianismum; sed de redargutione publica, quæ fit ex suggestu, unde oratio ad populum haberi solet. 2:0 Distinguimus inter peccatores, qui ob enorme delictum testatum ad publicam de recationem cogendi sunt aut ab ecclesia penitus excommunicandi; atque tales, quorum malitia & enormis perversitas omnibus quidem probis & intelligentibus est manifesta, quam tamen hypocritice tegere & aliis atque aliis indies renovatis artificiis excusare ac detende-
re

re non intermittunt. Dari enim hos, immo abundare atque premi ecclesiam sanctam talibus, omnes norunt, qui vel scintillulam divini luminis corde fovent. De illis affirmatur quæstio extra controversiam; de his autem jam queritur. 3:0 Distinguimus redargutionem generalem a speciali, atque hanc ab individuali. Qui generaliter tantummodo arguit, is ita fere taxat, ut nemo putet se tangi. In speciali redargutione tangitur aut denominatur peccatoris vitæ conditio illa, ex qua peccandi habitus vel occasio proxime dependet, atque sic describitur vitium, ut patescat, quam hoc abhorret ab officiis, quæ peccatoris vitæ generi sunt propria, sua autem quasi sponte sequitur atque fluit ex perversa vitæ ratione illa, qua dicitur homo vitiosus. Sic Propheta: *Principes Jacob & Duces domus Israël! numquid non vestrum est scire judicium? qui odio habetis bonum & diligitis malum, qui violenter tollitis petras eorum defuper iis, & carnem eorum defuper ossibus eorum.* Mich. III. 1. Individualis redargutio dirigitur ad solam personam quæ peccavit, ut illud: *Tu es vir mortis* II. Sam. XII. 7. item illud: *Sermo profanorum depascit, ut gangrena: ex quibus est Hymenaeus & Philetus* II. Tim. II. 17. Et circa hanc quidem individualem redargutionem notandum est, idem valere, sive peccans nomine compelletur sive depingantur personæ characteres quidam, aut vitæ conditiones tales, ex quibus persona peccatrix quidem dignoscitur, perinde ac ex nomine proprio, sed ipsum peccatum vel ejus atrocitas non intelligitur. 4:0 Quod attinet ad ipsam quæstionem, ut ab una parte temporum sapit, vel dolosum Zelum, terminis adeo generaliter conceptis fulminare, ut nemo iis tangatur, ita ab altera parte ad carnalem iram bilemve effundendam ampla via patesceret illis, qui in Zelo bono maxime frigent, si pro arbitrio quemvis auditorem in indivi-

individuo taxare licet. Bonus itaque Pastor media via sic procedit, ut, ex Zelo charitatem spirante, absque vitio πειστωτηληψίας, peccatorem quemvis, non individu-aliter, sed specialiter, in ceterorum auditorum horrorem, emendationem vel in bono confirmationem, depingat, excitet, pungat atque ad bonam frugem corrigat. Sibi autem tribuat peccator, si forte ex speciali redargutione ipsum notare queant auditores reliqui. Pastori sat est, quod non ex affectu pravo, sed amore christiano officium epanorthoticum impleat. Neque se remittit Zelus bonus, etiamsi admonitioni justæ irascatur peccator; illi enim soli reprehensionem a Domino merentur speculatores cæci, qui sunt canes muti, non possunt latrare, tempori, secundum prudentiam carnalem, seruiunt jacent atque amant dormitionem. Es. LVI. 10. Coronidis instar addi heic meretur historia, quam narrat Matt. Newcom: von dem Heiligen Latymer ist mir erzählt worden, daß als er eins-mals in einer Predigt, die er in den zeiten HENRICI VII. zu Hof gehalten, den König erzürnet hatte, ihm befohlen sey, den folgenden Sonnstag abermal zu Predigen, und daß zu widerrufen, was er das erste mal gesagt haette. Dem empfangenen Befehl zu folge, hat er sich wieder eingestellet zu predigen, und den eingang, seiner rede gemacht mit einem gespräch, darin er folgends angeprochen und vermahnet worden: Hugo Latymer, weist du auch, zu wem du jessund reden wilst? Zu dem hohen und mächtigen Herrscher über alles. Dieser ist es, der dich vermag zu tödten, beydes den leibe und der Seelen nach, wann du ihn erzürnen soltest: Der halben hütte dich, das du nicht etwas redest, wo durch du seine Majestät erzürnen und beleidigen kanst, u. s. w. und ist darauf gleichsam in sich gegangen, und hat sich selbst angeredet: Hugo, Hugo, denkest und weist du auch wol, woher du kommest, und zu wessen dienst, und wessen befehl du ausgesandt bist? Daz es der Allmächtige und grosse Gott sey, der Leib und Seele verderben mag in die Hölle; und darum siehe ja zu, daß du deine Botschaft mitt fleiß ausrichtest, und deinem Befehl sorgfältig nachstebest, u. s. w. Nach dem er nun, nach gemachten diesen eingang zur predigt selbst gekommen, hat er eben dasselbe was er vor achttagen gelehret, wiederholet, und mitt meh-

ren eiffer, dann vorhin dasselbe angedrungen und befestigt: Worauf alle Hof-Bedienten mit grossem verlangen abgewartet, was für einen ausgang diese sache gewinnen würde. Der König hat Latymer lassen vor sich kommen und mitt zornigen angesicht ihn gefrager, wie er sich als so aufs neue vor ihm zu predigen unterstehen dürfse? Latymer aber hat mit Heiliger Freundigkeit unerschrocken geantwortet: Seine Pflicht, die er seinem Gott und seinem Könige schuldig wäre, habe ihn dazu aufzumuntert; und nachdem er dadurch seinem gewissen und seine Pflicht ein Gemügen gethan, sey er geruhig, und stehe im übrigen es bei ihrer Majestät, was derselbe mitt ihm und mitt seinem Leben, und seiner Person anzufangen belieben möchte. Darauf soll der König von seinem Thron sich erhaben, den auf seinem knien liegenden Latymer aufgerichtet, ihn umfasset, und zu ihm gesagt haben: Er dankte Gott daß er in seinem Reiche noch einen Man angetroffen, der so getreu und offenhertig mit ihm handele. Vid, concion. Das allsehende unsichtbare Auge Gottes p. 305. seq.

§. XII.

An id concordat cum Zelo Pastoris, ut notorie impoenitentes absolvat, aut ad usum s. Cœnæ admittat? 1:o Notorium non est, quod ex rumoribus aut incerta fama colligitur, vel a circumforaneis, assentatoribus, nugacibus domesticis, aut uxore garrula susurratur, sed quod propriis sensibus cognoscitur, vel ex voluntaria confessione, itemque testium fide dignorum relatione innotescit. 2:o Ex variis signis cognosci potest aliorum poenitentia; quæ autem certius præbent indicium, ipsam poenitentiam non antecedunt sed sequuntur. Cum itaque aliquis confitetur se per divinam gratiam jam velle fieri vel factum esse poenitentem, atque signa illa edit, quæ ad fidem assertioni faciendam in antecessum conducunt, tum quidem ille non potest judicari notorie impoenitens, *nemo enim novit ea, que sunt hominis, nisi Spiritus hominis I. Cor. II. 12.* 3:o Cordati itaque Pastoris Zelus, ut ab una parte non eo spectat, ut in conscientias Auditorum tyrannidem exerceat, ita ab altera parte non intermitit sedulam inquisitionem de

de eo utrum impoenitentiae ac incredulitatis, an vero poenitentiae ac fidei signa demonstreret quilibet ex cœtu Audientium, qui absolutionem participare atque ad mensam eucharistiæ accedere vult. *Qui enim absolvit improbum, & qui condemnat justum, abominationi Jehovahe sunt æque ambo.* Proverb. XVII. 15. Proinde ad hanc sacrarum rerum communionem non admittit illos, qui ebriositati inherarent, qui meretricium vel quamcunque aliam publicæ turpitudinis professionem exercent, qui reconciliations media respuant, qui duellum adgrediuntur, & in universum omnes, qui poenitentiam non confitentur ejusve signa dare detrectant. Alioquin enim, hi quidem indigni convivæ graviorem sibi condemnationem cumulabunt, rei facti sanguinis Domini & corporis ejus. I. Cor. XI. 27; ipse vero Pastor eorundem pereuntium rationem reddet Domino. (1)

Dum vero manum de tabula removere jam cogimur, facile animadvertisimus, materiam gravissimam, levi admodum penicillo ad tactam relinquimus. Defectus itaque nostros quia aliter supplere jam non licet, in eorum gratiam, qui plura atque solidiora de argumento hoc minime sterili, legere cupiunt, nominasse atque commendasse sufficiat Auctores sequentes: Georg. Nitschii Mystra Fervidus. Joh. Matthiae Episc. Stregn. Pastoralis Zelotypia. Sam. Werenfelsii oratio de recto Theologi Zelo. Matth. Flacii Clavis Scripturæ, pars prior, fit Zelus. De cætero Auctores, qui Theologias Morales scripsierunt, etiam hanc illustrarunt materiam. Inspiret DEUS omnibus servis suis Zelum suum, ut lucem querant, DEUM in luce ament, cultum DEI sineculum promoteant, tenebras, superstitionis & tyrannidis genetrices, longissime arceant, fraternalm charitatem exercerent omnibusque commendabilem reddant, atque igneis fidei alis, in ardore medio seculi hujus, ad sanctissimum humidissimumque omnis puri amoris fontem incessanter pergent?

(1) De

(1) De hac quæstione non omnium eadem est sententia. Cœleberrimus D: n Jo. Dav. Michaëlis in *Compendio Theologie Dogm.* Cap. XII. 8: 145. sic pronunciat: *Si vel certissime, atque adeo di-
vino monitu nosces, irregenitum esse, qui harum epularum commu-
nionem petit, nec ille tamen enormi facinore commisso ecclesiam cœgit,*
*ut ipsum proscribat, recte eum ac sine ulla tuo peccato convivam ad-
miseras. Christi enim exemplo & periculo quiaquam peccandi turus eris,-*
*qui cum sciret, Judam Iscariotem peccatum proæreticum, quo atro-
cius humana natura non parturivis, meditari, tamen eum mysterio*
*sanc*tissimo* adhibuit.* Etiam hanc rationem addit, quod Christi sa-
crificium irregenito, solenni etiam ritu, oblatum, nisi is omnis reli-
gionis sensum exuerit, animum ejus sanc*tissimis* adlectibus ita
perstringat, ut spes sit, initia ea seria pœnitentia ac fidei fore.
Liceat vero nobis, venia viri eruditissimi, ad hæc opponere,
quæstionem, an Judas Iscariotes S. Coenæ fuerit particeps, du-
dum esse in dubio positam; adeoque huic quidem positioni argu-
mentum non esse superstruendum. Ad alteram istam rationem re-
sponsuri assumimus id, quod addit Cel. Auct*or*, horrendum esse
mysterium; quo quis eterna in se ipsum supplicia sanc*it*, & rata ha-
bet, meritoque bis, qui resipiscere nolunt, deprecandum ac refugien-
dum. Quid si jam is qui proæretice im*pœnit*ens est, ipse debet
refugere sacram synaxin, annan quæsto Pastor, mysterii dispensa-
tor, multo magis obligatur ad efficiendum, ut non participet.
Matth. VII. 6. Ad S. Coenam vero admittere notorie im*pœnit*en-
tem sub ea spe, quod vel solennitas ritus possit pios motus ex i-
tare; id quidem magis inconsultum consilium erit, quam homici-
dium permettere, ut homicida ad mortem pie obeundam præpare-
tur. Accedit & id, quod in Ecclesiis nostris non nisi præceden-
te absolutione S. Coena administretur; quis autem dicat, ju-
re divino licere, proæretice im*pœnit*entem a peccatis
absolvere?

S. D. G.

